

22
1772, 17

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
**IVRAMENTVM DEVLTIMA
VOLVNTATE NON MVTANDA
OMNI CAREAT OBLIGA-
TIONE**

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXVIII. SEPT. ANNO CICICCLXXII.

DEFENDET

CAROLVS GOTTLIEB LVDWIG

LEISNIG.



LIPSIAE
LITERIS RVM PFIIS.

GRASSIUS

LITER CONTRA VULGARE

AN

TRADITIONES ETIAT
FOLUNTATE NON MULATAS
OMNI CAVET ONGE
TOLTE

GRASSIUS

HISTORIAS IEGORI IN ORIGINIS CAVATA

D. CHRISTIANO HENR. BRUNNING

SYNOPSIS HISTORICAE DE PICTORIBUS ET SCULP-

IN AUDITORE RIO PICTORIO

DIG EXZELLIT EBB. ANNO 1600. GESCHREVEN

CHRISTIANUS

CAROPES GOTTHILFUS LAVATI

GRASSIUS

LIBRARI

FESTE RIS. H. L. M. P. T. L. T.

CHRISTIANUS
GRASSIUS



AN
**IVRAMENTVM DE VLTIMA
VOLVNTATE NON MVTANDA
OMNI CAREAT OBLIGA-
TIONE.**



§. I.

uidquid dicant, qui contra sentiunt, ignorat necessario naturae lex vim iuramentorum, non, quod iis obligandi vis non insit, sed quod saltem, cum a conscientia pendeat, nisi plane ab omni confusa loquendi ratione recedere velimus, et legi latiorem amplioremque significatum tribuere, ad iustum referri nequeat. Concedimus ergo, inesse vim obligandi iuramentis, et maiorem vim, quam, quae a iustitia pendet, quippe ad ea officia iuramenta referuntur, quae summo NVMINI debentur

tur, quae prima et omnium potiora sunt, quaeque iusti obligationibus omnino anteponenda, legis naturalis enim tunc autoritas maxima, si legislatorem agnoscimus, qui agnoscit nequit, quin simul officia ei debita agnoscantur. Haec vero obligatio per se interna est, et, quod diximus, a conscientia pendet. Quare fit, ut ciuilium interdum legum autoritas, quae alias externam obligationem iuramentis saepius tribuere solet, non omnibus iuramentis adfisstat. Fac, iurato renunciare filium familias Senatusconsulto Macedonio, deest vis externa iuramento, quamquam forsan nemo sit, qui neget, interne obligatum fore filium familias. Quaerendum itaque est, vtrum testator, si de non mutanda vltima sua voluntate iurauerit, ob iuramenti vim externe obligetur, quo minus semel conditum testamentum, posteriori condito, rumpere possit: an vero interne tantum obligetur, vt nihilominus ex ciuilium legum autoritate, quae iuramento non adfisunt, voluntatem suam vltimam mutare possit. Distincte rem tractabimus.

§. II.

Si ex romanarum legum argumentis quaestio decienda sit, causa facillime perorari poterit. Leges enim ciuiles hominis voluntatem liberam esse iubebant vltimam vsque ad extremum vitae momentum atque ambulatriciam, neque vlla ratione de ea testandi licentia pacisci permettebant, multoque minus ipsomet testator sibi legem dicere poterat de non mutanda lege super sua pecunia lata, vt nec clausulae derogatoriaie quidem, quae voluntatis vltimae immurationem improbabat, aliquam vim et autoritatem tribuerent. Testis est MARCIANVS in L. 6. §. 2. π. de Iur. Codicill. Facillime patet, nullam vim iuramenti esse posse, sed saluum manere ius testatori a sua voluntate

¶ ¶ ¶

tate recedere vltima, nouumque condere testamentum,
quod tanquam posterius deroget priori. Neque iniuste
aget testator, mutando voluntatem, quippe ex eo testa-
mento, quod prius fecerat, quodue, se non mutaturum,
iurauerat, nemo ius obtinuerat perfectum, in quo haede-
retur mutata voluntate vltima, cum ante testatoris mor-
tem spes tantum heredi datur, non aequē ius perfectum.

§. III.

Sed, an haec nostris moribus conueniant, dispicien-
dum est. Evidem negari nequit, eam, quae de testamen-
tis agit, iuris partem ex romano iure in germania rece-
ptam esse, hincque popularium nostrorum voluntatem non
minus ambulatoriam esse deberē ac romanorum, atque in
nostris foris nec derogatoriae clausulae nec iuratae decla-
rationi vim aliquam tribui posse, si de non muranda vlti-
ma voluntate agat; tamen non omnino ausim adfirmare,
haec ita vera esse, ut ex germanorum moribus nulla in-
terdum limitatio adferri queat, quae *paradoxa* quidem vi-
detur, defendi tamen potest. Quanvis enim in subsi-
dium romanum ius receptum sit, et eo recepto simul te-
stamenta, quae maiores nostri ignorarunt, tamen suos non
omnino deposuerunt mores, qui interdum romano iuri
aduersantur. Sic neminem pro parte testatum, pro parte
intestatum decedere posse iubent romanae leges: non ve-
ro mores nostri omnino semper approbant. Potest enim
contingere ut de hereditate adfit testatus heres, cum in
eiusdem testatoris vel testatrixis rebus expeditoriis vel
utensilibus intestatus alius vel alia, quam testatus heres
succedat. Posset itaque forsitan dubitari, an iuratae re-
nunciationi de non mutanda vltima voluntate omnis recte
deneganda sit vis et obligatio, si ex popularium nostro-
rum moribus argumenta petamus.

A 3

§. IV.

Si de solo testamento, cui iuramentum inscriperat testator de non mutando testamento, et sic sibi iurato legem dixerat, sermo est, quin ius romanum seruandum sit, non est dubium. Neque enim testamentum plus in heredem nostrum iuris conferre potest, quam contulerat in heredem romanum, sed, sicut heres tantum spem acquirit consequendae hereditatis, ita non erit illata laesio heredi, si, non obstante iuramento, ultimam voluntatem immutet testator. Et praeterea non abhorret a nostris moribus romani iuris regula, qua sibi nemo legem dicere potest.

Sed paulo aliter speciem fingamus. Titius condit testamentum inque eo Sempronium sibi scribit heredem. Post paciscitur cum Sempronio de non mutando testamento simulque iure iurando confirmat pactum, quo libertati suae testandi renunciaverat, quamvis iurata promissio nem acceptauerat; quaeritur an adhuc liberum erit mutare voluntatem. In hac quaestione explicanda absque dubio praejudiciale est, an quis testandi libertati possit suapte et ex proprio arbitrio renunciare, ita ut alter postea ius quae situm habeat, si nihilominus testamentum condiderit, illud contra ius quae situm conditum testamentum infirmandi. Et putemus hoc moribus nostris aduersum non videri. Nam quamvis successoria et acquisitiua pacta iure romano improbentur, approbantur tamen moribus. Licit itaque cum altero de eius hereditate acquirenda et sic de successione pacisci. Testatur BERGER in *Oeconom. Iur. L. II. T. IV. Thes. XLVIII. not. 1.* vniuersali Germanorum consuetudine haec probari pacta successoria. Iam si quis per pactum alteri successionem promiserit et promissionem

sionem acceptandi ius succedendi dederit, eo ipso testandi libertati renunciat eoque pacto efficit, ut si non obstante pacto nihilominus testamentum fecerit, hoc ipsis moribus nullum sit. Quare BERGERVS cit. loc. recte affirmat, valere illa pacta ad effectum impediendi facultatem testandi.

§. VI.

Quae cum ita sint, quid obstat, quominus eum effectum impediendi vltiorem testandi facultatem tribuamus iuratae promissioni heredi factae de non mutando testamento. Si enim fingamus, testatorem post testamentum factum heredi scripto successionem testamatam promittere et de ea per nouum testamentum non adimenda, testatorem iurare: non amplius adesse videtur testamentum, sed abiisse in successorum pactum, cum expresse promiserit successionem pacto, quae pactitia promissio, etiamsi iuramento confirmata non fuerit, effectum iam habuisse impediendi facultatem testandi. Multo magis si iurata promissionis confirmatione accesserit, quae renunciationem facultatis testandi continet, valebit promissio, de non mutanda voluntate vltima in successorium pactum transmutata. Concluditur inde, hac specie, sine laeso heredis testati et pacti iam successoris facti iure perfecto, testatorem amplius testamentum condere et voluntatem, quae ob pacti vim ambulatoria esse nequit, mutare non posse.

§. VII.

At quid! si simpliciter iurato promiserit acceptanti heredi scripto in testamento, se non mutaturum vltimam suam voluntatem, absque promissione successionis: an et tunc cesset testamenti condendi facultas libera? Qui romanó iuri omnia tribuunt, paradoxan habebunt hanc quaestionem, et magis forum paradoxan reiiciet. Nihilominus



ominus, comparatis iuribus et rationibus, putem, posse defendi, non deesse vim huic iuramento, cui per se interna obligatio negari nequit. Nam, quod iure romano non licuerit, mirum non est, quippe hoc iure de omni vltima successione pacisci licitum non erat. Nam nostris moribus facta non tantum non prohibita, ita perfecte obligatoria sunt. Ea ergo ratio, quae ob iuris prohibitionem iuratam illam promissionem initialidam efficiebat, nobis argumento esse nequit amplius, quibus promissiones non iniustae sunt. Quare vix dubium videbitur, testamentum rumpi per subsequens initum pactum successorum contrarium. Forte subintelligendum, eam promissionem *rebus sic stantibus* esse explicandam, et sic semper reuocationem liberam fore. Cedo, si iustam habeat causam, ob quam donatio seu liberalitas, quae omni vltimae voluntati inest, reuocari potest. At effectum habebit promissio iurata, si talis causa non adest. Et quid! si eo argumento, maxime ob Practicam clausulæ codicillaris testamento adiectae vim, vt amur, quod est in L. 27. n. de mort. caus. don. Ait Ictus: *Vbi ita donatur mortis causa, ut nullo casu reuocetur: Causa donandi magis est, quam mortis causa donationis.* Concludamus ergo: Si ita testamento hereditas relinquitur, ut ob iuratam promissionem non reuocetur, donandi vel pacisciendi magis causa est, quam testandi. Saltem ita mallem ob iuramenti sanctitatem, ne testator, frustra iurasse videatur.




Leipzig, Diss., 1772 A-R



f

TA-70L

nur 23. Stck. höher verka.



22
1772, 17

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
IVRAMENTVM DE VL TIMA
VOLVNTATE NON MVTANDA
OMNI CAREAT OBLIGA-
TIONE

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. OVISBVRG.
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXVIII. SEPT. ANNO CICIOCCLXXII.
DEFENDET
CAROLVS GOTTLIEB LVDWIG
LEISNJC.

CENFRID
UNIVERS.
HALIE

LIPSIAE
LITERIS RVMPFIIS.